



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 169. Ancræus Marescallus Rege conscio e medio sublatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

**Sæc. XVII.** que uxor de vitæ Regis fratrisque tui  
**A.C. 1617.** spatio ac diuturnitate Medicum Montaltum, Magos & Ariolos interrogarint, forte etiam veneficis suis artibus utrique finem vitæ constituentes. Ancræus vero cum Hispanis, ut si e Galliis adversa tempestate fors deturbetur, securum ibidem haberet asylum, clandestina foverit consilia, eumque in finem exterum militem in præfidia finitima introduxerit, novumque in Belgio exercitum collegerit. *His aliisque de causis, inquiebant Principes, omnibus, & singulis testamur, quod extrema necessitate coacti, oppressam ab Ancræo, ejusque Sociis libertatem, Regis, Regnique Majestatem vindicare decreverimus, hortamurque omnes, qui se genuinos Gallos profitentur, nostris accedant partibus, relictoque Ancræi studio ad obedientiam Regi, Regnoque debitam revertantur: Hoc si neglexerint, omnem miseriarum, quas in hoc bello perpessuri sint, causam sibimetipsis adscribant: Eadem enim cum iis, qui tanta facinora vel tacendo approbarunt, vel conivendo promoverunt, pœna dignos esse, literis hisce publicis constanter asseveramus.*

## §. CLXIX.

*Ancræus Marescallus Rege conscio e medio sublatus.*

Divul-

Divulgata hac Principum declaratio-  
 ne, sub idem ferme tempus An-  
 cræus ex Pontarqueo, arx est ad Sequa-  
 nam Lutetiæ imminens, datis ad Re-  
 gem literis hæc eidem exposuit: *dissimi-*  
*li ratione ab iis, qui Regi suo operas locant*  
*ex conducto, memet obtuli unacum octingentis*  
*cataphractis, & sex millibus peditum impen-*  
*sis meis conductis. En fidem exsolvo, mili-*  
*tant tibi in præsens, mihi merent stipendia*  
*ter mille & ducenti Leodienses, bis mille*  
*& ducenti, Galli equites octingenti: ibunt*  
*armati quocunque jusseris, illis ego Dux,*  
*aut comes ero: mihi abunde erit, si probas*  
*ausum, expectabo mandata, qualia dederis.*  
 Plerisque displicuit Ancræi audacia,  
 fastus & arrogantia offerentis e penu  
 sua, quæ aut prius a Rege suffuratus,  
 aut ex publico ærario brevi resarciturus  
 effet: ita conjectabant, qui Ancræo of-  
 fensi erant, aliis, paucis tamen, ejus-  
 dem pro Regis salute studium deprædi-  
 cantibus. Cæterum Ancræus pericu-  
 la, quæ interim ipsi ab aliis immine-  
 bant, aut ignorabat, aut Reginæ Ma-  
 tris potentia, gratiaque tutus, contem-  
 nebat; unde haud expectato Regis re-  
 sponso post Veris initium ipse Lutetiam  
 revertebatur, paulo post sine omni metu  
 inde profectus. Jam antea autem non  
 pauci, aut Regni calamitatem miserti,  
 aut odio in Ancræum incitati, Regem de  
 de

Sæc. XVII.  
A. C. 1617.

*Hist. du Par-*  
*lem. c. 48.*

*Merc. Gal-*  
*lob. tom. II.*

t. 4.

*Gramond.*

*& Calmet. l. c.*

**Sæc. XVII.** de omnibus, quæ ipso incerto, ac sæpius  
**A. C. 1617.** invito in Regno agerentur, erudiebant,  
 quibus tempestive supervenerat Cadene-  
 tus Luynæus Regis cliens in paucis ca-  
 rus Avenionensis Nobilis, qui Regi  
 tum nonnisi sexdecim cum dimidio an-  
 nos nato in ludos, & venaticas exer-  
 citationes admotus, primum diffiden-  
 tiam, dein odium in Conchinum An-  
 cræi Marescallum Regi insinuabat, ex  
 hujus tamen colloquio, ac repetita  
 Principum, aliorumque querela Rex  
 velut ex alto somno expergefactus, ma-  
 lo remedium opponere, serio statuit:  
 Luynæus vero animadvertens grata es-  
 se, quæ diceret, acrius instabat: atque  
 opportunam ex Ancræi absentia occa-  
 sionem nactus, eo liberius Regi expo-  
 nebat, quod ob supremam Ancræi au-  
 ctoritatem ipse non nisi mutum Regiæ  
 dignitatis simulacrum, omniumque,  
 quæ in Regno gererentur, penitus igna-  
 rus esset, Ancræus autem præcipuas  
 arces ad Regni confinia, ut inde poten-  
 tius minitaretur, possideret, exhausto-  
 que tributis populo, urbibusque deso-  
 latis bello, quo Regnum premitur, &  
 Principes in Regem exardescunt, ipse  
 flammam subjecerit, quin unquam pax  
 sperari possit, nisi Ancræus totius Re-  
 gni pestis e medio tollatur; proin Rex  
 aut illum occidi, aut iudicii acta in eum  
 a Se-

a Senatu instrui juberet: His perceptis Sæc. XVII.  
A. C. 1617.  
 Rex ea, qua præditus erat, moderatio-  
 ne Ancræum comprehendere, atque ex  
 legum præscripto judicari maluit; ut  
 vero Reginam, ceterosque eidem fa-  
 ventes falleret, si quando de Ancræo,  
 vel ejus administratione sermo incide-  
 rat, ipsius fidem, animumque depræ-  
 dicabat, utque suum attingeret proposi-  
 tum, manifestius, quam antea absenti  
 Ancræo adblandiebatur, donec incau-  
 tus in casses rueret: Porro rei exequen-  
 dæ negotium datur Vitrio Regii Satel-  
 litii Præfecto, qui prima arcis Regiæ  
 atria subeunti, verbis præter morem  
 asperis, inque minas flexis moram indi-  
 ceret, obluctanti vero vim inferret: uti  
 decretum, ita & evenit. Illuxerat Apri-  
 lis dies vigesimus quartus, cum infelix  
 Ancræus (incertum, an tunc accersitus,  
 vel ultro adventans) octoginta ferme  
 Nobilium comitatu stipatus, Lupa-  
 ram, ubi tum Rex, & Regina ejus Ma-  
 ter cum Ancræi conjuge Galligaya se  
 tenebant, ingrederetur, ubi vero cum  
 suis primam Regiæ portam attigerat,  
 eam præter solitum occlusam reperiens  
 admittis nonnisi duobus famulis per  
 ostiolum majori portæ insertum sese in-  
 trudit, regem adhuc strato attineri ratus:  
 Præstolabatur eum in Regiæ atrio Vi-  
 trius unacum Haliero fratre suo, cete-  
 raque

Sæc. XVII. A. C. 1617. raque prætorianorum fistulis æneis armatorum manu. Ut primum in conspectum Ancræus venit, obuius ac prior Vitrius, siste gradum, acclamat, Regisque jussu hic illico vel arma pone, vel vitam. Ad hæc Ancræus indignanter admirabundus, reflexo aliquantulum vestigio: Quid? tu mihi aditum prohibes? exclamans ad capulum ensis dexteram admovet: mox autem Vitrius in mora periculum ratus, eum occidi jubet: prætoriani igitur sclopos in eum tanquam Regiæ voluntati obsistentem laxant, geminisque glandibus ignitis, ac per Ancræi corpus trajectis Marefcallum momento citius conficiunt, Vitirio altius vociferante, *Vivat Rex?* Ad hanc vocem fit extemplo prosperum eventum gratulantium conclamatio, concurrunt Nobiles, qui Ancræum comitantes non intromissi fuerant, accessu tamen prohibentur: interim trucidati corpore vilem in cellam recluso, Rex sublimi de fenestra conspicuum se dedit, ac *se conscio transactum id opus* vociferans, quietos esse, quotquot adessent, iussit. Hæc inter Reginæ Matri nuntiatum, Vitrii manu cecidisse Ancræum, illa igitur minacior accurrit, ejusque prætorianus miles in arma effusum sanguinem vindicaturus ruit, ipsa vero citato gressu, ore, corde & gestu vin-

vindictam spirante ad Regem convo- Sæc. XVII.  
 lans: *quid hoc*, inquiebat, *Fili mi-Rex*, Sæc. 1617.  
*Ancræum Vitrius?* cui Rex paucis re-  
 spondit: *fecit, Vitrius, Rex mandavit.*  
 His auditis Mater presso dolore conti-  
 cuit. Strepebant interim omnia ter-  
 rore, ac tumultu in urbe Parisina, spar-  
 so in vulgus incertis auctoribus rumo-  
 re, quod Ancræi proditione Rex ceci-  
 disset: verum statim everso contrariis  
 nuntiis figmento, incredibili, ac pu-  
 blico cunctorum gaudio tota repletur  
 civitas. Augebantur vero applausus,  
 postquam Præco ædes Palatinas adire  
 iussus, proclamaret, Ludovicum vi-  
 vere, restitutam hodie Senatui liberta-  
 tem, auctoritatem legibus, Regique  
 Regnum: Tum enim vero festiva om-  
 nium conclamatio, confusaque diver-  
 sissimis vocibus concordia Regi aggra-  
 tulantium, simulque mortuum Tyran-  
 num diris devotentium.

## §. CLXX.

*Indomita Parisini populi rabies in  
 Ancræi cadaver.*

Verum inter sola maledicta, vulgique  
 sannas nequaquam stetit interfecti  
 Marchionis infectatio; cum enim ejus  
 cadaver nocte concubia, nullo tamen  
 fanebri apparatu, ad Divi Germani  
 ædes